





RE

D

J  
I  
D

D  
ET

JO





ORDINIS IURIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
p. t. DECANVS  
JOH. BALTHASAR  
WERNHER, D.

POTENTISSIMI POLONIARVM  
REGIS ET ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIVS  
AVLICVS, IURIS ANTECESSOR, CVRIAE PROVIN-  
CIALIS SENATVS ECCLESIASTICI, ET COLLEGIO-  
RVM IURIDICORVM, QVAE VITEMBERGAE  
SVNT, ASSESSOR.

*LECTORI SALVTEM ET OFFICIA.*

---

*VITEMBERGAE,*  
LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINII,



ORDINIS IURIDICI  
IN  
ACADEMIA VITENBERGENSI  
P. E. DECANVS  
IOH. BALTHASAR  
WERNHER, D.

POTENTISSIMI POLOVARVM  
RECS ET ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIVS  
AVLICVS, IVRIS ANTECESSOR, CVRIAE PROVIN-  
CIALIS SENATUS ECCLESIASTICVS ET COLLEGIO-  
RVM IURIDICORVM, QVAE VITENBERGAE  
SUNT, ASSESSOR.

LECTORI SAEPIEN ET OFFICIA

LITTERIS AVGVSTI KOEHRSTEINI







... ut dicant, Jurisdictionem hodie plane proferant  
non posse, cujus opinionis lux hanc rationem red-  
ducit quod olim personis, hodie vero patrio-  
nis sit Jurisdictio. Atque istam esse omnium in-  
tentionem hodie in patrimonio esse. Nam & li-  
... & dicitur...

**Q**Vam longe alia facies hodiernæ Jurisdicti-  
onis sit, quam apud Romanos olim,  
omnes norunt, qui utriusque Reipubli-  
cæ conditionem ac statum vel obiter sal-  
tem inspexerunt. Neque enim Quirites aliam Ju-  
risdictionem agnoscebant, quam quæ personis com-  
peteret, Magistratus officio functis, quam nec per-  
petuo & ad mortem usque retinebant, sed tempo-  
rario, quod gererent, munere finito, Jurisdictione  
etiam destituebantur. Caterum rei vel prædii Ju-  
risdictionem inherere, & cum eo per emtionem si-  
milemve titulum transferri, monstrum Romanis erat;  
Ut hinc turpiter labi, & magnopere falli eos oport-  
teat, qui ex indole status Romani Jurisdictionem  
nostrorum temporum metiuntur; in eundem cum

iban ):( 2 illis





illis censum merito redigendi, qui vel ad modulum  
status Paradisiaci Jus Naturæ assumant, vel ex po-  
tremis in Codice libris Jus Publicum Germanorum  
repetunt; ut improbari non possit Celeberrimi Ju-  
reconfulti jocus, quo in ejusmodi farinae homines  
ludit, quum uxoris Justinianæ faciem & rugas ex  
Prooemio Institutionum pingeret, atque ad vivum,  
ut ajunt, repræsentaret. Sed nec illi in leviori er-  
rore versantur, qui ita crude philosophari solent,  
ut dicant, Jurisdictionem hodie plane prorogari  
non posse; cujus opinionis suæ hanc rationem red-  
dunt, quod olim personalis, hodie vero patrimo-  
nialis sit jurisdictio. Atqui falsum est, omnem Ju-  
risdictionem hodie in patrimonio esse. Nam & il-  
li, qui Præfecturis præsent, & qui in Civitatibus Ma-  
gistratus officio funguntur, non de alia, quam ad-  
ministrativa, Jurisdictione gloriari queunt, & in  
plerisque Academiis, quod nemo neget, nonnisi  
personalis, & ea finibus sat angusti temporis inclu-  
sa Jurisdictio locum habet. Quo autem fine, quæ-  
so, Exceptioni fori quotidie renunciatur, si Judicis  
Incompetentis Jurisdictionem prorogare haud lice-  
at? Nam illos omnes, qui hanc veluti cautelam  
sugerunt, seque Principes Pragmaticorum ferunt,  
stuporis arguere velle, stultum forte ac temerarium  
foret. Contra ea nec illud, quod aliqui volunt,  
admitti potest, omnem indistincte Jurisdictionem  
non minus hodie, quam olim, prorogari posse;  
quod qui contendunt, in eo præcipuum sententiæ  
suæ præsidium collocant, quod prorogationes Ju-  
risdi-



risdictionis Jure Romano concessa, nulla Lege ho-  
dierna abrogata sint, nec is, qui patrimoniali Ju-  
risdictione fruitur, de commodo sportularum sub-  
tracto jure queri possit, quum nec incommodum  
laboris molestiarumque sentiat; denique Magistra-  
tus ægro animo ferre non debeat, si forte subditus  
rixosus alii Judici potius, quam ipsi, negotium fa-  
cessat. At enimvero ut patrimonialis Jurisdictionis  
prorogatio peculiari Lege interdicator, absurdum  
fuerit; quippe quæ nec Juri Romano, quod solam  
personalem Jurisdictionem agnoscit, convenit; &  
prorogationis impedimentum ex ipsa illius indole  
ac natura fluit. Quod prædio inhæret, ejusque  
pretium, ac vires patrimonii auget, hoc citra Do-  
mini voluntatem atque consensum imminui, aut  
interverti non posse, rationis est. Judicandi vero  
arbitrium, an utilitas cum incommodo conjuncta  
sit, aut sine hoc percipi queat, non penes tertium,  
sed illum tantum, est, qui jure quæsito nititur. Sicuti  
etiam hoc solum, quod subditus rixas & contentio-  
nes alat, Magistratui fraudi esse, aut ejus Jurisdic-  
tioni præjudicare non debet, si, molestiis insuper ha-  
bitis, laborem ipse subire, causæque cognitionem  
suscipere velit. Denique momenta adducta forte ad  
persuadendum, ut Dominus Jurisdictionalis alienam  
Jurisdictionem prorogari sinat, apta esse, non vero  
tantum roboris habere queunt, ut Domino patientiæ  
Legem & quandam necessitatem imponere valeant.  
Quamobrem dubitandum haud est, eum, qui pa-  
trimonialis Jurisdictioni subjectus est, coram alieno



judicio litigantem pœnalibus Mandatis revocari,  
ac in ordinem redigi posse; adeo ut inferior etiam  
& immediatus Judex, cujus tribunali forte negle-  
cto superior statim aditus ac imploratus est, in cau-  
sa, quod ajunt, intervenire, atque id, quod ipsius in-  
tuitu patrimonialis jurisdictionis & primæ instan-  
tiæ interest, urgere possit. Sed an voluntaria Juris-  
dictio in alieno plane territorio exerceri possit, alio-  
nis indaginis est, nec id puto ex *L. 2. ff. d. Jurisdic.*  
ad quam omnes provocant, exculpi posse. Cum  
enim ibi de territoriis, quæ diversos plane dominos  
agnoscunt, sermo nequaquam sit, nihil inde præsidii  
pro tuenda opinione vulgo recepta arcessere licet.  
Sicuti etiam nondum omnino expeditum, & ad li-  
quidum perductum est, quatenus contentiosa Juris-  
dictio prorogari, & extra territorium jus dicentis  
exerceri possit. Quæ res non ex quotidiano fori  
usu, sed ex genuinis principiis & analogia Juris æ-  
stimari debet. Qua ratione non apparet, quo-  
modo actus ad illam Jurisdictionis speciem perti-  
nentes in privatis ædibus, quod fieri subinde solet,  
expediri queant, si extra territorium jus dicentis  
constitutæ sint. Quamvis enim non ignorem eos-  
dem vi conventionis inter partes litigantes susti-  
neri; nescio tamen, an Privatorum pacta ea vir-  
tute polleant, ut id, quod publici juris est, immuta-  
re, & quandam velut prorogationem contentiosæ  
Jurisdictionis extra terminos & fines suos inferre  
possint. Sed plura de hoc argumento dicere vo-  
lentem & alia, quæ me nunc Dresenæ, ubi hæc scri-  
bo,



bo, circumstant, negotia impediunt, & ab instituto invitum revocant, & supervacaneo labori parcere jubet ipsa Inauguralis Dissertatio Nobilissimi Candidati JOHANNIS CHRISTIANI LUDERTI, Advocati Lubenens. cujus nunc vitæ curriculum, & ratio, quam in studiis excolendis, & eruditione comparanda in iit more a Majoribus tradito breviter recenseretur debet. Lucem primum adspexit GVBENAE in Lusatia inferiori Ao. MDCLXXXVII. honestissimis Parentibus natus; qui in filio, quem Musis destinaverant, recte educando omnem curam diligentiamque adhibuerunt. Prima Literarum elementa in Schola Patria didicit, fidelissima Institutione cum aliorum, tum speciatim B. M. MVSAEI magno cum fructu suo usus Postea in CHEMNIGENSI Schola uberioribus Doctrinis imbutus M. SCHVLZIO ac MVLLERO, illius post prioris discessum Rectori, constantissime adhæsit, nec ab illius Viri latere discessit; quum ipsi præ cæteris, cum quibus in Condiscipulatu vixerat, studium indefessum ac morum elegantiam probaret. Tum vero, ubi literis humanioribus animum ad altiora præparasset, se VIEMBERGAM contulit, & velut ad mercatum bonarum artium disciplinarumque profectus nihil omisit eorum, per quæ, tanquam gradus, ad juris Disciplinam eundum est. Quo consilio Celeberrimos Philosophiæ Doctores adiit, & ab illorum ore sedulo pependit, cum mature intelligeret, sine his præfidiis Rabulam quidem & Legulejum, nunquam



quam Jureconsultum existere posse. Jactis eum  
in modum Sapientiæ fundamentis Juris studium  
alacri animo aggressus est, & Excellentissimos Juris  
Antistites, BEYERUM atque GRIBNE-  
RUM, nec non Viros Consultissimos, BREN-  
DELIVM, LEYSERVM QVE audivit, at-  
que ita brevi tempore profecit, ut ad summos  
in utroque Jure honores adspiraret. Nuper apud  
Ordinem nostrum inter Juris Candidatos Nomen  
professus ita se gesit, ut non indignus videretur, qui  
tantos honores capefferet. Die Mercurii, DEO  
volente, prodibit in publicum, & Præside Excel-  
lentissimo Celeberrimoque Jureconsulto BEYERO  
Dissertationem Inauguralem de *Jurisdictione Incom-  
petentis Judicis in non subditos per Prorogationem fura-  
data*, publice ventilandam proponet. Cui Actui so-  
lenni ut Magnificus Academiæ Pro-Rector, Illu-  
strissimus Comes, Per-Illustris Lib. Baro, & reliqui  
Academiæ Proceres, ac Cives Nobilissimi inter-  
esse ne graventur, nomine Amplissimi Ordinis  
perofficiose rogo. Dabit is mecum sedulo dili-  
genterque operam, ut nihil prætermittamus eorum,  
quæ ad cultum, observantiam, & Studia nostra  
mutuc declaranda pertinere videbuntur. P. P.

Vitembergæ DOM. PALMARVM

A. O. R. M D CCXII.



05 H 844

ULB Halle

3


004 227 204











ORDINIS JURIDICI  
IN  
ACADEMIA VITENBERGENSI  
p. t. DECANVS  
JOH. BALTHASAR  
WERNHER, D.

POTENTISSIMI POLONIARVM  
REGIS ET ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIVS  
AVLICVS, JURIS ANTECESSOR, CVRIAE PROVIN-  
CIALIS SENATVS ECCLESIASTICI, ET COLLEGIO-  
RVM JURIDICORVM, QVAE VITENBERGAE  
SVNT, ASSESSOR.

*LECTORI SALVTEM ET OFFICIA*

---

VITENBERGAE,  
LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINII,